



A C H I L L I

H. J. r. 56.
(37.)

H A R L Æ O

S E N A T U S

P R I N C I P I .



HOS, H A R L Æ E, tibi, non vano carmine, Parcæ
Prædixere dies, fore te, qui pectore forti
Astrææ decus assereres, ut, fraude remota,
Posthabito mallet cœlo, Chelisque relictis,
Legum vindice te, terris Dea læta morari.

Evenere. Themis, populo plaudente, Senatûs,
Te cinctum trabea, sacrisque insignibus auctum,
Primo stare loco, legesque, & sancta tueri
Jura dedit, pravosque ævi componere mores.

Nempe Sacerdotem Themidi mens provida Regis
Vestigans, vigiles oculos per singula versat,
Quanta patent, Regni loca, si fortasse virum quem
A

Repperiat, qui tanto oneri par esse ferendo
 Et queat, & vitam velit uni impendere recto.
 Repperit. Ecce etenim sacrarum Antistita legum
 Cognati Virgo linquens Palatia Solis,
 Libramque, gladiumque tenens, de nocte silenti,
 Remige Versalias penna contendit ad arces,
 Atque ipsum tenuis carpentem dulcia somni
 Dona, inter comites curas, his vocibus ultro
 Aggreditur Regem. Æthereis è sedibus adsum,
 Cura Poli, L O D O I X, ut, me famulante, voluntas
 Sit superum manifesta tibi. Dubitare videris
 Justitiæ vacuum quo successore Tribunal
 Jam repleas; quamvis sese turba offerat ingens
 Digna legi, tamen H A R L Æ U M te poscimus omnes.
 Nota viri virtus, rectique à tramite flecti
 Nescia mens, & vasta utriusque scientia juris.
 Hic genus, & proavos, & stemmata longa filebo,
 Sive forum, seu castra placent, clarissima fastis
 Nomina. Nempe alii Majorum grandia jactent
 Facta; suâ virtute satis decoratus, avitæ
 Nil hic laudis eget. Quanta integritate priores
 Ille Magistratus gessit, qua mente recoctas
 Detexit fraudes, utque, ambitione repulsâ,
 Afferuit populi, simul & tua jura sequester
 Publicus, & Populo juxta dilectus & Aulæ,

Expertus nosti: sed ubi ad fastigia juris
 Evectus fuerit, tunc tunc majora licebit
 Susplicere; antiquo mores candore recudet;
 Invidia major, per mille pericula rerum,
 Semper inaccessus donis, precibusque, minisque;
 Intrepido spectans Magnorum jurgia vultu,
 Cuique suum nullo constans discrimine reddet.
 Flagitiis bellum indicet, solisque timendus
 Sontibus innocuos tutabitur, usque manebit
 Incorrupta fides pretio; commenta filebunt
 Venalis linguæ, fugiet scelus, atque clienti
 Innexæ fraudes, placidæ insidiosa quieti
 Turba: reluctantis dirimi sufflamina litis
 Vincita solventur; reddetur Curia prisco
 Splendori, tantoque vigeant Præsides leges.
 Dixerat; at Divæ monitis lætatus amicæ
 (Illius alloquio fruitur nam sæpe) volucris
 Excutitur somno LODOIX, ac protinus ad se
 HARLÆUM jubet acciri, nutusque Deorum
 Paucis olli aperit. Te vult Themis ipsa togatos;
 O HARLÆE, inter primum splendescere Mystas:
 Unum te, suatore Deo, omni ex ordine legi.
 Major præteritis esto, venientibus autor.

Hæc LODOICIADES: contra sed protinus, aureis
 Fandi opibus quamvis ingens HARLÆUS abundet,

Pauca suo de more refert. Rex Maxime, quamvis
Esse satis validas mihi tanta ad munia vires
Addubitem; tamen experiar; nec posse negabo,
Quod me posse putas: robur, qui praecepit, addet.

Nuncius interea votorum rumor in urbes
Exierat: subito nigris caput occultit antris
Crimen, ioque canit virtus secura, triumphe.
Jam populi passim testantur gaudia festis
Plausibus, imprimisque parens Academia, toto
Pectore, delatos fasces gratatur Alumno.

Aspice, Pieridum chorus omnis ut emicat, utque
(Nam Musas & amat, simul & redamatur ab illis)
Dum blandis fidibus pulcher modulatur Apollo,
Indulget sacro repetitis monte Choreis.

Tu vero ante alias, Musa Harcuris, inclyta tanto
Quondam habitatore, eia age, laetos exere vultus,
Laetitiae manifesta tuae da signa, comasque
Laure evincta, tui memor hospitis ocyus altas
Carminibus virtutes celebra, capitique coronam,
Floribus ex illis, quos Aonis irrigat unda,
Depropera, semperque novos mediteris honores.

GEORGIUS DU FOUR
Rhetor in Collegio Harcuriano.

Ex Typ. FRANC. LE COINTE
Cum Permissu 1689.

